



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

Quæ intentio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

semper contingit in sacello parvo etiam post columnam ejusdem parvi sacelli, etiam in Choro post altare pro Religiosis, vel Clericis ibi cantantibus. At in templo magno, ut, v. g. S. Petri Romæ, non satisfacere, si tu esses in Capella & in altera fieret sacrum: multo minus si propè columnam ab Altari distantes, vel parietem Capellam dividentes; quia tunc tanta distantia, vel divisio inter, & celebrantem nullis aliis intermediis tollit præsentiam moralem: nam propter contrariam rationem, satisfacere, si adesset magna hominum multitudo; tu verò esses ex postremis in eadem magna Ecclesia, quia scilicet tunc moraliter faceres unam cum ea multitudinem præsentiam.

13. Ex hac doctrina olim resolvi, num Moniales loco post Altare, quem in suis claustris habent, qui locus non videtur pertinere ad Ecclesiam, cum sit solum ad commoditatem ipsarum, ut inibi aliquibus diebus Officium cantent, num, inquam, à tali loco illæ possint visitare Altare, & indulgentiam illud visitantibus concessam lucrari: an potius obligentur illud visitare à Choro, qui est in ipsa Ecclesia ad Altaris prospectum directè situs? Dixi, cum inde horis Canonicis satisfaciant, indeque Missam etiam audire soleant, ut ipse à me interrogatæ falsæ sunt, & quidem ritè propter rationem num. præcedente dictam; nullam posse esse dubitationem quoad indulgentias, utrobique enim eadem præsentia moralis in Ecclesia requiritur, & sufficit.

14. Infero secundò, fenestra tuæ domus, si sit parva distantia ad altare Ecclesiæ, posse te satisfacere præcepto inde audiendo Sacrum etiam si sit intermedia via publica. Ita de Lugo de Euchar. disp. 22. sect. 2. num. 21. quia sic verè præsens es moraliter Sacro: secus erit in magna arbitrio prudentis distantia, propter oppositam rationem.

4. Infero tertio, non esse moraliter Missæ præsentem eum, qui sacramentaliter confitetur, dum Missa celebratur. Ita Suar. de Sacram. disp. 88. sect. 6. v. Septimum caput; Azor. 1. p. lib. 7. c. 7. q. 8. quia non satis est pietas actionis, si hæc distrahat, seu excludat moralem assistentiam; distrahit autem in casu nostro, quia actio externa Confessionis impedit ipsum externum cultum attendendi ad Missam.

16. Infero quarto, satisfacere præcepto de audientia Missæ cum, qui dum eam audit, recitat Psalmos, vel alias Orationes, etiam illas, quas ex obligatione recitare tenetur: Ita Suar. l.c. Azor. l.c. cap. 5. q. 3. aliqui communiter, quia talis attentio ad res divinas moralem præsentiam nequaquam tollit.

Imò, dum Sacerdos secretè orat, Orationes aliquas à fidelibus recitari, bonum consilium est; si quidem mentis evagatio; hæc ratio, melius evitabitur: quomodo autem duabus obligationibus possit uno opere aliquando satisfieri; vide latè apud Sanchez lib. 1. in Dec. cap. 14. num. 5.

Intentio.

17. Octavo, requiritur intentio volendi audire. Quare non satis est, esse in Ecclesiâ ad expectandum, v. g. amicum, nisi intendas etiam Sacro interesse. Pari modo, etiam si Missæ quis inter sit ad videndam mulierem, vel ad aucupandam vanam gloriam, licet aliunde peccet, satisfaciens nihilominus, si interim Sacrificio vacet; modò hæc non impediunt, ut certè ex se sola non impediunt, præsentiam humanam ad Missam. Ita Sanchez. ibid. n. 1.

18. Si quis Missæ assistat intentionem habens non satisfaciendi præcepto, adhuc satisfacit (esto, peccet ex malo affectu, si die festivo non habeat animum implendi præceptum.) Ita Sanchez ibid. cap. 13. n. 8. Suar. tom. 2. de Rel. lib. 4. c. 26. num. 8. quidquid Marchinus de ordine, tract. 3. p. 3. cap. 17. n. 10. cum Azor. aliisque ibid. citat. quia ponit jam rem præceptam; præcipitur enim, ut audiat Sacrum, non verò ut cum ista, vel illa intentione audiat. A peccato autem satis abundè desistit, si intra debitum tempus, v. g. ante meridiem, voluntatem illam retractet, velique per auditam jam Missam obli-

gationi satisfacere. Hinc etiam fit, ut ignorans hodie esse diem festum, si audiat Missam non obligetur aliam audire post scientiam festi; jam enim præcepto satisfecit.

Attentio.

19. Nonò, desideratur attentio, estque communis quæstio, cum attentione ad Divinum Officium. Necessariam esse attentionem internam, hoc est, internam applicationem mentis ad Missam, vel Officium, sive ad verba, sive ad verborum sensum, hinc ad Deum, docent communiter Vasquez Sanchez; Suarez, innumerique alij citati à Diana p. 3. de Hor. Canon. resol. 2. vide etiam p. 3. tract. 4. resol. 10. ubi de Missa, Oppositum id est, solam externam satis esse, ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi, Sylvester, Durandus, Medina, S. Antonius, alijque, quos refert Diana, ex recentioribus Coninch, Galpar, Hurtadus; Diana; & probabile vocat Lessius, Henriquez, Victorellus, Layman; novissimè denique Io. de Lugo de Euchar. disp. 22. sect. 2. n. 27. prædictos citans, optimis rationibus id confirmat: unde & ego, sicut in opus. 5. de Sac. Missæ, lib. 2. cap. 3. ita hic, idem probabile iudico.

20. Hæc autem externa attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est, in negatione ejus negotij, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ; quale esset, v. g. velle historiam legere, confabulari, ludere, depingere, scribere, & similia.

21. Ratio potissima hujus probabilis sententiæ est: quia falsum assumunt adversarij, dum contendunt actuali internam attentionem esse de substantia Orationis, unde, cum Ecclesia præcipiat Orationem, necesse esse præcipere etiam dictam attentionem: falsum, inquam, id est, quia omnes fateri oportet, absque ea posse consistere Orationem.

Paret id in forma Extremæ Unionis, quæ est substantialiter Oratio: & tamen, si Sacerdos, sive voluntariè, sive involuntariè distrahat, adhuc conficit Sacramentum; signum est igitur, substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione. Paret iterum, quia orare est loqui cum alio: at certè ego tecum loqui possum, licet non attendam; ut esset, si ex scripto, vel verbis memoriæ traditis, tecum agerem, imò & cum Rege; vel Principe interim aliquid aliud cogitando. Paret denique eo, qui ex scripto, vel sine interna mentis attentione loqueretur eum excommunicato vitando, vel professionem in Religione emittere: nam & ille in excommunicationem incidere, & hic veram emittere professionem, si respondisset ille loqui, & hic emittere aliquid enim est intentio externa, quæ omnino est necessaria; de qua locuti sumus num. præcedenti, & sufficere virtuale diximus, in opus. 3. de Sac. Missæ, lib. 2. cap. 1. §. 2. aliud attentio interna, quam non esse sub mortali (esto sub veniali, sup. lib. 2. cum de orat. &c.) necessariam, hic affirmamus. Cum enim ex dictis attentio actualis interna non ingrediatur orationis essentiam, unde certò habes Ecclesiam, quotiescunque orationem præcipit, præcipere & attentionem: Nisi certò habeas, non debes onus tam gravis legis certò fidelibus imponere. Alia minutiona in hanc rem, præsertim verò oppositorum solutione, vide apud citatos.

§. II. De Causis excusantibus ab assistentia Sacri.

Excommunicatio.

Vbi ab obligatione tollendi impedimenta.

2. Excusabitur primò, ab audiendo sacro excommunicatus, vel interdictus, sive publicè, sive privatim. Ita Suar. d. 38. sect. 6. initio March. de ord. r. 3. part. 3. cap. 17. num. 17. quia hoc prohibet, nedum excusat Ecclesia; idque procedit etiam si culpabiliter negligat